



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 2. Comparatio divinæ essentiæ cum essentiâ creaturarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

destruis quod astruis & astruis quod destruis. Hanc ob causam notarunt quidam quod solus Deus absolute dicatur Verbum, quæ vox lingua Hebraicâ sonat ESSE, vel Rem, quia in esse suo continet res omnes possibiles. Et S. Hieronymus in epistola ad Marcellam ostendit solum Deum proprie esse, quia præter illum nemo est qui habeat esse per essentiam, aut qui aliquando non fuerit aut non debuerit esse: in cuius comparatione Esse nostrum, nihilum est. Isthoc est argumentum quod hoc capite proposui explicandum, ut eo persuadeam lectori praxin solidæ & sinceræ in Deum Fiduciæ.

§. II.

Prima comparatio Divina essentia cum essentia creaturarum.

Brevem sed sublimem dedit quodam tempore instructionem Christus Dominus S. Catharinæ Senensi cum eam pro more suo perfamiliariter inviseret & alloqueretur in hunc modum: Filia mea, noveris, quod Ego sum qui sum & tu es quæ non es. Quibus verbis quæ hic paululum extendenda sunt, significare illi voluit divinus Magister, ut consideraret ipsa secum attentius quid esset, suæque naturæ fundum penetraret & fines circum-

circumspiceret ejusdem. Quasi diceret: examina bona quæ possides, pondera vires tuas, dispice quousque se porrigant sensus tui, intellectus tuus, voluntas tua, & vide quò se protendant motus corporis tui atque animæ. Nonne verissimum est quod quicquid est & quicquid habes, id totum sit meum, quodque nec videre quicquam, nec concipere, nec respirare, nec esse omninò possis sine beneplacito meo? Nonne certissimum est quod in originali nihilo tuo lateres, nisi ego te inde extraxissem? In quod si forte relabereris, tibi foret impossibile inde tuapte sponte exstere, quam mihi nunc facile est in illud te vestigio redigere impotentem prorsus ad resistendum. Et verò quantum ad hoc, scias nihil amplius posse reges & imperatores, Cherubinos & Seraphinos aut quamvis creatam potestatem sive in cælo, sive in terrâ, quam tu possis, atque ita cuncta mihi subijci, ut vel momento temporique subtraherem manum meam, quâ perpetuo influxu creata cõservo universa in nihilum relaberentur. Vide agnoscas insanam Luciferi superbiam, quæ ausus fuit se elevare contra me; mireris etiam hominum dementiam illius exemplum imitantium dum sacrilega in me arma assumunt. Qua fronte præsumunt insurgere adversus

ne, qui momēto citiūs valeo illos pessunda-
 re? Potiore jure tenentur submittere se atque
 prosternere pronos in terram coram me con-
 siderantes naturæ suæ imbecillitatem & ni-
 hilum. Divinæ huic & verissimæ doctrinæ
 non multum dissimilem Ethnicorum nobis
 suppeditant antiquitates. Refert Plutarchus
 & confirmat Eusebius inscripta fuisse super-
 luminari portæ templi Delphici hæc duo ver-
 ba Dei nomine ad hominem directæ: γνάθι
 κενώ. Nolle te ipsum. Hominis verò ad
 Deum responsum inferiori ejusdem portæ
 limini hac voce exaratum ἴ. Tu es. Ipsa cla-
 mat Veritas mortales nos in conspectu tuo
 Deus Optime Maxime, nihil esse, Te esse so-
 lum credimus atque hoc ipsum confitemur,
 nihil esse nos paratosque, si ira placuerit divi-
 næ voluntati tuæ, in nihilum nostrum redire
 ex quo manu tua omnipotente extitimus.

§. III.

Creaturarum indigentia.

Hæc ut penitiūs inspiciamus atque dis-
 cernamus distinctiūs Divinū Esse à ni-
 hilo creaturarum; consideremus obsecro
 quot hæc quantisque urgeantur & preman-
 tur necessitatibus: quam multis egent, vel ad
 solam sui conservacionem? Quot conditio-
 nibus,